UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Vepres. Scelera.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Visual Library

A

BONUM DE MALO DELIGERE. VEL, BONUM MALO CIRCUMSEPTUM. CAP. II

Illud etiam memoratu dignum, quod roſæ ſimulacrum, bonum ſignificat, quod undiq; circumſeptum ſit malis, ac perinde voluptates noſtras amaritudinis & aſperitatis plenas. Nam, ut Ambroſ. in Hexamero philoſophatur, roſam ſpina ſepſit, tanquam humanæ vitæ ſpeculum oſtentaret, quæ quod eſſe potuit ſuavitatis, finitimis curarum ſtimulis ſæpe compunctum, amareſcere videatur, vallata enim eſt elegantia vitæ noſtræ, & quibusdam ſolicitudinib. obſepta, ut triſtitia ſemper adjuncta ſit hilaritati: quare non illepide Catullus Venerem, quæ jucunditatis hilaritatisq; author præcipuus habetur, ſpinoſas ait in pectore curas ſerere. Quod autem roſa & rubet & pungit, affectus amatorii ſignum eſſe Placiades affirmat, utpote qui ſine verecundiæ rubore, & facinoroſi criminis exulceratione eſſe non poſſit. Roſam primitus ſpinis caruiſſe Baſilius tradit, poſtea vero pulchritudini floris abditos eſſe aculeos, ut quod ex voluptate oblectamentum perceperi-
B mus, propinquo inde dolore exulcerati, qui ex delicti recordatione emergit, ſtatim amittamus. Cujus rei monumentum ſpinas tribulosq; tellus ipſa nobis paſſim oſtentat.

Roſa cur rubet & pungit.

DE VEPRIBUS.

SCELERA. CAP. III.

Atque adeo Vepris omne genus hieroglyphicè ad delicta noſtra referuntur, eaque de cauſa CHRISTI caput ſpinis coronatum, ut indicium hoc eſſet noſtrorum ſcelerum, quæ ſupra caput ſuum expianda ſuſcepit, Spinas terra germinat Adamo: quia propter ejus prævaricationem *Geneſ. 3.* peccati pullularunt. Apud Salomonem *Spinæ naſcuntur in manu temulenti*, actiones ejus ſceleribus *Prov. 26.* & perperam quibusq; factis plenas eſſe commonſtrantem. Eſaiæ cantico legitur cap. 5. *Expectatum,* *Spina quid in Divinis.*
C *ut vinea uvas daret, eamq; ſpinas protuliſſe*: ait Eucherius loco hoc, hieroglyphicum ſunt iniquitatis, ut uva juſtitiæ. Sane ager, ut Heſychius, in Divinis literis pro divina accipitur inſtitutione, quam Prophetæ, Jesus & Apoſtoli tradidere, cujus vitis Chriſtus agricola Pater, in quo abſconditur theſaurus, id eſt, ſalutaris prædicatio. Semen, verba doctrinæ. Poma, bonorum operum proventus. Spinæ, ſcelera, pravaq; conſuetudines atq; peſtilentes.

ODIUM. CAP. IV.

Nam & Sin apud Hebræos, apud nos rubus eſt, cujus id eſt hieroglyphicum, ut odium ſignificet, ut octavis apud Hieronymum Hebræorum caſtris habetur.

ASPERITAS. CAP. V.

Usque adeo vero rubus in aſperitatis ſignificationem abiit, ut homines ingenio moroſo & difficillimo præditos, qui præ ſuo vivendi inſtituto omnes aliorum mores impendio faſtidirent, *Rubi hieroglyphica.*
D per Rubum ſiccam indicarent: eam enim ita affectam frangas potius, quam minimum flectas. Denique rhamnus, urtica, carduus, ſentes, paliurus, & herbæ reliquæ aculeis armatæ, in ſacris literis ſignificant homines immites, doloſos, inſolentes, & omnino improbos, quos nemo ex probis & manſuetis attrectare poteſt, contingere vel caſtigare, ſine doloris compunctione, diceret Eucherius.

PERTURBATIONES ANXIETATESQUE. CAP. VI.

Sunt præterea omnia hæc perturbationum, quæ menti noſtræ accidunt, hieroglyphica. Rubus, ut ſentit Heſychius Hieroſolymitanus presbyter, afflictatio ea eſt, quam noſtri Tentationẽ vocant, aſperũ quippe virgultum, & quod difficulter manibus attrectare poſſis. Hinc vero curæ, oppreſſiones,

Eſt enim [illegible]